



Q. D. B. V.

## SECTIO I.

§. I.

**R**ectissime sane ait Plato *Lib. IX. de LL. Si homines sine Legibus viverent, nihil à feris ferocissimis discreparent*; Leges enim ad conservandam humanam Societatem admodum esse necessarias, prima jam tempora factis ostendunt. Siquidem corruptis post lapsum hominum ingeniis, multiplicatisque hominibus, plures se congregarunt, inter se inierunt pacta, quæ re ipsa nihil aliud sunt, quam LL. conventionales, & vi pacti quoque vel Seniori, vel prudentiori se subjecerunt, & vel expressè vel ex natura negotii tacitè promiserunt, se illius consilia sequi, & mandata exequi velle, bene cognoscentes, nec se solos capaces esse, se contra alios improbos defendendi, nec inter se ipsos concordare fore, nisi alter alterum vi pacti, seu Legis conventionalis obligaret. Aucta postea humana gente, auctisque improborum sceleribus & flagitiis, aucta etiam est necessitas plures Leges novaque statuta condendi, & Regnantibus prima semper fuit & princeps cura, subditis utiles præscribendi LL. ne prohi ac infirmi ab improbis & validioribus opprimerentur, atque ut hi vi quadam ad justitiam colendam adigerentur. Ita, urbe Roma vix exstructa, Romulus statim vidit, Incolas ejus, istam hominum colluviam, sine LL. retineri haud posse, & eam ob causam subito curavit, Leges quasdam ad illos compescendos præscribi, imò, in ipso Fratre transgressore primum poenam

A 2

statuit,